



PROCESSUS VERBALES CONGREGATIONUM GENERALIUM

CXXVIII

Congregatio generalis centesima vicesima octava habita est die 15 septembris 1965, feria IV, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2266 Patres, nempe 81 cardinales, 3 patriarchae, 7 primates, 336 archiepiscopi, 1683 episcopi, 10 abbates nullius, 15 praelati nullius, 41 praefecti apostolici, 90 superiores generales.

Summus Pontifex, Paulus VI, una cum tribus praelatis domus suae et exc.mo P. D. Pericle Felici, secretario generali Ss. Concilii, in Aulam ingressus est, Patribus plaudentibus.

Secretarius generalis S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum chorus et Patres alternatim cantant antiphonam ad introitum Missae cum psalmo.

Missae de festo Septem Dolorum B.M.V., ritu romano, celebrata est ab exc.mo P. D. Bernardo Cazzaro O.S.M., vic. ap. Aysenensi in Chilia. Chorus Cappellae Sixtinae una cum Patribus exsecutus est cantus, modo gregoriano: antiphonam ad introitum, *Beata Mater*, cum *Ps. 45, 44; Alleluia*; antiphonam ad offertorium, *Recordare, Virgo Mater*; antiphonam ad communionem, *Beata es*, cum cantico *Magnificat*.

Post Missam, secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes*, et Summus Pontifex precem dixit: *Adsumus*.

Idem secretarius generalis monuit Summum Pontificem promulgavisse Litteras Apostolicas Motu Proprio datas: *Apostolica sollicitudo*, quibus Synodus episcoporum pro universa Ecclesia constitutus est. Omnes Patres plauserunt.

Em.mus P. D. card. Paulus Marella illustravit Motu Proprio, quem postea secretarius generalis legit.

Deinde Summus Pontifex benedictionem Patribus impertivit et ab Aula discessit.

Em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant, decanus Sacri Collegii et primus e consilio praesidentiae, Patres allocutus est.

Etiam em.mus P. D. card. Gregorius Petrus Agagianian, primus e moderatoribus, Patres allocutus est.



Secretarius generalis legit « telegramma » missum a patr. Oecumenico Athenagora ad Summum Pontificem Paulum VI, initio quartae periodi Concilii Vaticani II. Deinde proclamavit nomen moderatoris congregationis, em.mi P. D. card. Gregorii Petri Agagianian, atque legit nomina Patrum, qui loqui petierant circa schema declarationis *de libertate religiosa*.

Post relationem, lectam ab exc.mo P. D. Ioseph De Smedt, ep. Brugensi, ad loquendum de illo schemate ex ordine vocati sunt em.mi PP.DD. cardd. Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis, Ioseph Frings, arch. Coloniensis, Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, Ioseph Siri, arch. Ianuensis, Beniaminus de Arriba y Castro, arch. Tarraconensis, Ioannes Urbani, patr. Venetiarum, Ricardus Cushing, arch. Bostoniensis, Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis.

Tandem secretarius generalis quaedam Patribus communicavit circa licentiam assistendi congregationibus generalibus.

Durante congregatione Patribus distributa sunt: *Missae in quarta periodo Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandae*, Typis Polyglottis Vaticanis 1965; *Missa ante congregationem generalem diei 15 septembris 1965 celebranda*; *Allocutio em.mi P. D. Eugenii card. Tisserant, decani, primi ex consilio praesidentiae*; *Elenco dei Padri Conciliari*. A cura della segreteria generale del Concilio, Tipografia Poliglotta Vaticana 1965; *Relatio super schema declarationis de libertate religiosa*.

Intimata proxima congregatione generali, sequenti die, hora nona habenda, repositus est S. Evangelii codex et em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant preces *Agimus... Angelus...* recitavit. Congregatio finita est hora 12,30.

CXXIX

Congregatio centesima vicesima nona habita est die 16 septembris 1965, feria quinta, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2252 Patres, nempe 81 cardinales, 3 patriarchae, 6 primates, 340 archiepiscopi, 1672 episcopi, 10 abbates nullius, 15 praelati nullius, 39 praefecti apostolici, 86 superiores generales.

Ante Missae celebrationem, exc.mus P. D. Iacobus Le Cordier, ep. tit. Prienensis, Ss. Concilii subsecretarius, Patres monuit de ordine et cantibus Missae.

Exc.mus P. D. Michaël Callens, arch. tit. Moxoritanus, praelatus nullius Tunetanus in Tunisia, Missam celebravit, ritu romano, de festo SS. Cornelii et Cypriani Martyrum. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus proprios e communi Martyrum.